Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

quia fateor me nescire. alterum quod animam scire me dixi spiritum esse non
corpus. Sed in hoc altero duo reprehendisti. unum quod non eam crederem esse
corpus. aliud quod eam spiritum crederem. Tibi enim uidetur et corpus esse animam.
et non esse spiritum. Audi ergo purgationem meam. contra reprehensionem tuam.
et ex hac occasione qua me purgo. inde ipso disce que purges;
recole uerba libri tui. ubi me primitus nominasti. Scio inquis ple
rosque et facile peritissimos uiros insuper et consultos tenuisse si
lentium. aut nihil expressisse elocutos. cum definitionem disputationibus
suis inchoata expositione subtraxerint. sicuti nec nuper apud te au
gustinum doctissimum uirum predicatumque episcopum comprehensum litteris lectitaui.
Modestius quidem ut reor ac uerecundius huiusce rei archana
rimantes. ut se ipsos tractatus sui deuorasse iudicium. neque se
posse ex hinc aliquid determinare professos. Sed mihi crede satis super que
uidetur absurdum atque incongruum rationi. ut homo ipse expers sui sit.
atque is qui rerum omnium creditur adeptus esse noticiam. sibi ipsi ha
beatur ignotus. Quid autem differt homo pecore. si nesciat de sua
qualitate naturaque disquirere atque disserere. ut merito illud
conueniat quod scriptum est. Homo cum in honore esset non in
tellexit. adsimilatus est iumentis. et comparatus est eis. Nam cum deus
bonus nihil non ratione condiderit. ipsumque hominem animal rationale.
intellectus capacem. rationis compotem. sensuque uiuacem. qui omnia
rationis expertia prudentie ordinatione distribuit pro
creauerit. Quid tam inconueniens dici potest. quam ut eum sola
sui notitione fraudauerit. Et cum mundi sapientiam quesisse usque
ad ueri cognitionem super uacua quidem inuestigatione pretendit.
quia scire nequiuit per quem licet quedam uera cognosci. aliqua
tam uicina immo affinia ueritati temptauerit. super anime
natura disputare. Quam indecens atque pudendum est reli
giosum quemquam de hoc ipso aut nihil sapere. aut pe
nitus sibi interdixisse ne sapiat. Ista tua nostre ignorantie
disertissima et luculentissima castigatio. omnia que ad